

PHILIPPVS REX HISPANIAE, ARCHIDVX AVSTRIAE,
dux Burgundiae, & Belgiae, &c.



Philippus ex Archiducum Austriae familia pro-
gnatus, patre Carolo 5 Imperatore, & matre Isa-
bella regina Portugalliae, in ualle Doleti 21 Maij an-
no 1527. Itaq; passim per Hispaniam ludi & specta-
cula celebrata, eo tempore cum Roma à Caesarea-
nis expugnata esset. Hunc parentes in omni gene-
re uirtutum educarunt, atq; ut in literis institueret,
doctis praceptoribus commendarunt. Hisce Phi-
lippus ob praecalam indolem morem gessit, ac in
clarissimum Europae regem et principem postea e-
uasit. Cum hoc modo adoleuisset, atq; 16 aetatis an-
num attigisset, Carolus Imperator anno 1543 in Ger-
maniam profectus, Philippum filium in Hispania

cum Imperio reliquit, ut interea principum quorundam consilio adiutus, re-
bus ad occidentem praeset. id quod ipse singulari industria praestitit. Postea
uerò cum Imperator per Germaniam uictor esset, Philippus à patre in Ger-
maniam euocatur, atq; Maximilianus patruelis interea in Hispania substitui-
tur 1548. Itaq; Philippus sub finem eius anni in Germaniam uenit atq; Albano
duce, Andrea Auria, & Tridentino cardinale comitatibus, ubiq; honorifice su-
sceptus fuit. Ibi cum per triennium in magna authoritate mansisset, postea in
Hispaniam redijt, atq; ut omnia rite peragerentur curauit.